FR. PETRARCHÆ

NONDUM EDITA

EPISTOLA

PRÆCLARO ANTISTITE

JOSEPHO CAPELLARI

ECCLESIAM VICENTINAM

ADEUNTE

HANC FR. PETRARCHÆ EPISTOLAM

PUBLICI JURIS

ANTONIUS MENEGHELLI

FACIEBAT

AD

PHILIPPUM DE VITRIACO (1)

FACTUM EPISCOPUM MELDENSEM

Congratuler, an vero compatiar, amantissime pater atque optime, quod quum maxime necessaria quies esset, tum maxime tibi super impositum laborem video, et praedulcibus studiorum curis jucundissimoque otio, praedura negotia et episcopalem sollicitudinem successisse? Heu! quoties Augustus Caesar, ut unico et omnium altissimo sim contentus exemplo, quoties hac aetatis parte, quam nunc degis, ut laborem dimitteret, de dimittendo imperio cogitavit! Testatur quaedam ejus epistola ad Senatum missa, in qua erat, ut privatam agere sibi liceat et liberam senectutem, quam procul ab illo fastigio honoratam sibi spondere non dubitabat. Tu cum honoratus esses et quietus, omniumque liberrimus, quos

ego nossem, ultro laborem et voluntariam servitutem subiisti: dum nodosis atque inextricabilibus, et a falce repullulantibus plenum curis pontificium es amplexus, prorsus magno animo et excelso, qui propriae quieti et honestissimae voluptati tuae utilitatem publicam praetulisti. Proposito igitur tuo gratulor, compatiorque fortunae, atque illud hortor in primis, ut quod invito animo suscepisti, indefessa constantia prosequaris, gloriam in terris, in caelo autem stabiliora quaedam praemiorum genera meriturus. Haec tibi raptim scribere visum est expectante nuntio, cum aliud quod scriberem non haberem, praesertim ut scires ubinam terrarum sum. Ad ripam Rodani rursus me compulit sors; utinam, antequam roter iterum, te visurum! Tu vive feliciter, et vale, nostri memor.

Avenione X. cal. novembris (2).

ADNOTATIONES

(1) Nonnullas ad Philippum de Vitriaco Petrarchae habemus epistolas. Fuit vir nobilitate, divitiis, sapientia clarissimus. Gens autem Vitriaca summorum virorum ditissima. Inter hos primum tenet locum Jacobus de Vitry, auctor Historiae Hyerosolimae, qui floruit ineunte saeculo XIII. Haec epistola, juxta codicem Parisiensem, est XIV. lib. XI. Famil.

(2) De more desideratur annus. Videtur missa anno 1351.

PATAVII

TYPIS MINERVÆ

M . DCCC . XXXII

TRADUZIONE

DI UNA LETTERA LATINA

DI

ANGELO GABRIELI

STAMPATA L'ANNO 1502, DESCRITTIVA LE FESTE DATE IN VENEZIA E NELLO STATO VENETO AD ANNA PRINCIPESSA DI FRANCIA, CHE PASSAVA IN DETTO ANNO A SPOSARE LADISLAO RE D'UNGHERIA.

TRADUZIONE

DI UNA LETTERA LATINA

DI

ANGELO GABRIELI

STAMPATA L'ANNO 1502, DESCRITTIVA LE FESTE DATE IN VENEZIA E NELLO STATO VENETO AD ANNA PRINCIPESSA DI FRANCIA, CHE PASSAVA IN DETTO ANNO A SPOSARE LADISLAO RE D'UNGHERIA.